DE

'DUM' PARTICULAE USU PLAUTINO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORIATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

(Hermann Emil)

OSCAR ELSTE

MERSEBURGENSIS.

HALIS SAXONUM.

MDCCCLXXXII.

Postquam E. Lübbertus libro, qui inscribitur: „Die Syntax von Quom und die Entwickelung der relativen Tempora im älteren Latein", 'cum' particulae temporalis usum apud Plautum et Terentium diligentissime tractavit, certe operae pretium est, item de ceteris coniunctionibus temporalibus, quomodo usurpatae sint in illis primordiis litterarum latinarum, accuratius quaerere. Quare ipse quoque Plauti studio deditus de usu particularum 'dum', 'donec', 'quoad' apud illum accuratius quaesivi. Sed nunc reliquis omissis de una particula 'dum' disserere in animum induxi.

Itaque et indicativi post hanc particulam positi exemplis collatis et coniunctivi usum persecutus, quae inter huiusmodi exempla et illa intercederet differentia ac ratio, pervestigare mihi proposui.

Priusquam autem ad exempla ipsa nos conferamus, pauca praemittenda videntur de universa constructione huius particulae apud Plautum et de vocabulis eam apud illum antecedentibus.

1.
De constructione particulae 'dum' apud Plautum.

Coniuncta est haec particula longe plurimis locis cum indicativo, et ita quidem, ut centum et quinquaginta septem [1]) indicativi exempla, quadraginta coniunctivi inveniantur.

Inter indicativi exempla longe superat cetera tempora praesens: huius temporis indicativus exstat centum et viginti quattuor locis, ut ceteris temporibus relinquantur tres et triginta.

1) Quod Truc. I, 1, 17 particula bis posita est, cum ad utramque unum praedicatum pertineat, alterius rationem non habui.

Deinde iam hoc loco addamus, quam multis locis in singulis particulae notionibus uterque modus exstet: notione „während" particula coniuncta est cum indicativo octogies, cum coniunctivo duodecies.

Eorum locorum, ubi significationem „so lange als" praebet, bis et quinquagies invenitur indicativus, coniunctivus septies.

Ubi „bis" valet, indicativum post se habet quinquies et vicies, semel et vicies coniunctivum.

Relinquitur unus locus, ubi particulae vis pro certo statui non potest; frg. inc. 71 (Weise): 'dum aviculae vernant.'

2.

De adverbiis particulam 'dum' apud Plautum antecedentibus.

Inveni adverbia hanc particulam apud Plautum antecedentia haec: interim (octies), interea (quater), usque (ter), adeo (bis), adeo usque (bis), ad illut usque (semel), paulisper (ter), aliquantisper (semel), tantisper (quinquies), parumper (semel), perpetuo (semel), adsiduo [1]) (semel), semper (semel), tum (semel), nunc (septies), iam (bis), iamdudum (semel), ilico (bis), modo (semel).

Ex quibus in iis locis, ubi particula 'dum' valet „während", inveniuntur haec:

interea — Amph. 1098. Asin. 914. Merc. 778. Truc. IV, 2, 24 —
aliquantisper — Pseud 572 —
iam — Pseud. 1279. Men. 330 —
iamdudum — Cas. II, 6, 15 —
modo — Epid. 650 —

Ubi altera particulae notio subest, haec:

ad illut usque — Most. 134 [2]) —
parumper — Amph. 638 —
perpetuo — Merc. 373 —
adsiduo — Mil. 50 —
semper — Curc. 664 —
tum — Truc. II, 1, 21 [3]) —

1) cf. Asin. 429 'operam adsiduam dedo, dum . .'
2) vid. Lorenz. ad h. l.
3) vid. p. adn.

Ubi tertiam particula significationem praebet, haec:
adeo — Merc. 78 ib. 657 —
adeo usque — Asin. 328. Amph. 472 —
ilico — Rud. 328 ib. 879 —

Et in iis locis, ubi „während", et in iis, ubi „bis" valet particula, reperi haec:
interim, et 'dum' significante „während", septem locis: Stich 366. Trin. 30. Rud. prol. 37 ib 1261. Mil. 1271. Men. 214. Truc. IV, 2, 6 —, 'dum' notante „bis", semel — Trin. 757 —

paulisper, ubi particula valet „während", bis: Mil. 197 Rud. 1036 —, uno loco, ubi 'dum' utitur altera significatione, — Amph. 697 —

Deinde invenimus usque et tantisper particula 'dum' et „so lange als" et „bis" notante:
usque, altera ratione: Truc. II, 3, 1 Men. 728 —, altera: Pers. 52 —
tantisper, altera ratione: Men. 193 Truc. prol. 11 Cas. II, 8, 50 —, altera: Most. 683 Rud. 1190 (quo loco ad 'tantisper' praeterea 'saltem' adiunctum est).

Postremo 'nunc' invenitur in omnibus 'dum' particulae notionibus idque, ubi ea „während" et „bis" valet, binis, ubi significat „so lange als", tribus locis: Curc. 243 Amph. prol. 96 — Pseud. 1234 Bacch. 932 — Truc. IV, 2, 3 Most. 20 Poen. prol. 42.

Praeterea tempus accuratius notatur 'aliquot dies' praemisso: Mil. 583 Curc. 242 — 'triduom hoc saltem' — Truc. IV, 4, 21 — His locis particula valet „bis".

Deinde exstat 'anno' in enuntiato principali: Truc. II, 4, 39 — particula significat „so lange als".

In secundaria enuntiatione ipsa legimus
nunc: Most. 217 Amph. 980 — certam temporis definitionem sex dies: Trin. 166 — Ac primo loco 'dum' habet notionem „so lange als", duobus reliquis „während".

Restat ut commemorem ad 'dum' ipsum additum esse quinquies quidem [1]): Asin. 463 ib. 870 Merc. 373 Pseud. 507 Bacch. 226 —, quibus locis omnibus particula notat „so lange als“; semel modo: Asin. 935. — 'dum' significante „bis“.

Jam his praemissis rem ipsam aggrediamur.

A.

De 'dum' particula cum indicativo coniuncta.

Cap. I.

De 'dum' particula notione „während.“ [2])

Ea exempla, in quibus nos particulam vertimus „während“, sunt omnino octoginta.

In eorum longe plurimis (duobus et septuaginta) exstat praesentis indicativus, neque solum in iis, ubi res ipsa ad praesens tempus pertinet, sed etiam in eorum satis multis, in quibus illa vel ad praeteritum vel ad futurum tempus spectat.

Omnino in quinque huius notionis exemplis perfectum invenitur, futurum in duobus — sic iam omittimus locum Men. 214; vid. p. 13 sq. —.

I. Ex iis locis, in quibus praesens exstat, tractemus

a) eos, ubi res ipsa ad praesens tempus pertinet:

Trin. 255 'Fit ipse, dum illis comis est, Inops amator'; Pseud. 685 'Certa amittimus, dum incerta petimus'; Bacch. 817 'quem di diligunt, Adulescens moritur, dum valet sentit sapit'; Pers. 363; Mil. 762; Hic versus in codicibus sic scriptus est: 'Set procellunt se et procumbunt dimidiati dum appetunt'.

Ac primum certum esse videtur, 'procumbunt' ad interpretandum verbum 'procellunt', quod alias nusquam reperitur, additum esse [3]) et hoc interpretamento recepto aliud quiddam interiisse,

1) cf. Enn. ann. inc. sed. 486 (Vahlen): 'Dum quidem unus homo Romanus toga superescit . . '

2) vid. Kühner: Ausführl. Gram. d. lat. Spr. II p 908. Draeger: Histor. Synt. II p. 604; Hand: Tursell. II p. 306.

3) cf. Fest. Paul. p. 225 'Procellunt, procumbunt.'

velut 'in mensam' quod codices altero loco, quo idem versus repetitus est, post v. 777, servaverunt.

Quare non dubito, quin cum Ritschelio scribendum sit: 'Set procellunt sese in mensam'. In altera huius versus parte offendit Ritschelium vocabulum 'dimidiati', quod num significatione 'dimidia parte corporis' accipi posset dubitavit. Itaque in eo 'dum inhiant' latere arbitrabatur. — 'dum id hiant' coniecerat Scaliger — Jam putavit 'dum appetunt' ipsum quoque additum esse ad explicandum 'dum inhiant' et item aliquid interiisse velut 'quae fastidiunt'; itaque coniecit sic scribendum esse:

'Set procellunt sese in mensam, dum inhiant quae fastidiunt'.

Sed haec mutatio minime mihi probatur. Neque enim video, cur haereat aliquis in illa vocabuli 'dimidiatus' notione. Plautus enim satis multa habet vocabula singularia. Quare 'dimidiati' cum codicibus retinendum puto, praesertim cum id vocabulum eadem significatione etiam a Catone usurpatum inveniamus — ap. Gell. III, 14, 19: 'homines defoderunt in terram dimidiatos ignemque circumposuerunt' —, et cum Acidalio, quem secuti sunt Brixius, Lorenzius, Ribbeckius, totum versum sic scribendum existimo: 'Set procellunt sese in mensam dimidiati, dum appetunt.'

Truc. I, 1, 17 'Dum huc dum illuc rete vortit, impedit piscis'. — Sic scripsi Spengelium secutus; in codicibus pro 'vortit' scriptae sunt litterae or. Buechelerus proposuit: 'dum huc illuc rete circumvortit.' — Exemplis adhuc allatis agitur de rebus, quae saepius iterantur atque usu probantur. —

Trin. 1149 'Quid ego ineptus, dum sermonem vereor interrumpere, Solus sto?' Merc. 348 'meost error animo, Dum servi mei perplacet mihi consilium, Dum rursum haud placet'; Cas. II, 6, 15 'Mihi dum dixi, huic volui, atque adeo mihi dum cupio, perperam Jamdudum fabulor'; Mil. 93 'hic meretrices, labiis dum ductant eum, Maiorem partem videas valgis saviis'; — 'Ductant', quod editores restituerunt, sine dubio pro genuina scriptura habendum est. Codd. BDF habent 'ducant', C 'ducunt'. Idem verbum 'ductare' eadem significatione invenitur Capt. 642; 755; utroque loco cum 'dolis' coniunctum est. Eundem

sensum una cum propria notione praebet Most. 845 'nil moror ductarier'.

In his exemplis omnibus principalis ipsa quoque enuntiatio praesentis est temporis.

Ad futurum ea pertinet exhibetque

futuri ipsius formam: Aul. IV, 2, 14 ,perscrutabor fanum, si inveniam uspiam Aurum, dum hic est occupatus';

praesentis indicativus loco futuri post 'dum' notione „bis"— positus est Curc. 243. Codices habent: 'quin tu aliquot dies Perdura, dum intestina exputescunt tibi, Nunc dum salsura sat bonāst', quod tenent Fleckeisenus et Goetzius. Sed hoc sanum non esse Ussingio assentior: nam si salsura, qua quid ne corrumpatur prohiberi solet, bona est, exspectari non potest, fore ut intestina 'aliquot diebus' exputescant. Sed ne Ussingii quidem coniecturam, qui pro (altero) 'dum' scribit 'enim', probo: Cappadox modo exposuit omnia intestina sua dolere atque aegrotare. Deinde respondet Palinurus futurum esse — si illud ita se habeat — 'aliquot diebus', ut ea exputescant; iam si pergeret illud nondum accidisse, quod etiamtum salsura satis bona esset, hoc mea quidem sententia sensui minime responderet, praesertim si id ipsum consideras, quod leno de viscerum suorum morbis supra questus est.

Immo hoc desideramus: 'aliquot dies perdura, dum intestina tibi exputescunt, quod mox futurum videtur, cum salsura non iam idonea sit ad illa servanda et a putredine defendenda. Quare scribo: 'Nunc dum salsura [hau] sat bonast'. —

imperativus in principali enuntiato invenitur: Stich. 764 'da mihi savium, dum illic bibit'; Curc. 280 'Date viam mihi . . ., dum ego hic officium meum facio.'

coniuntivus (pendens a verbo 'volo' vel particula 'ne'): Pseud. 921' dum ille dormit, volo Tu prior occupes'; Asin. 531 'nobis periclum et familiae portenditur, Dum eius exspectamus mortem, ne nos moriamur fame'; Mil. 1317 ib. 595 — Codices sic exhibent:

'Ibo intro, ne, dum absum, multi sortito fua' Ba C, 'multis sortito fu.' cum ras. Bb, 'multi fortita sua' D; in A haec apparuerunt: AUL· A· SORTITA· FIA, h. e., ut videtur, MULTAE

SORTITAEFIA (vel FIM). Quod tam corruptum est, ut difficillimum videatur, coniecturam facere plane probabilem. Quare acquiescendum puto in Ritschelii, quem secuti sunt Brixius et Lorenzius, scriptura: 'Ibo intro, ne, dum absum, illis sortitus fuat', quod ita interpretantur, quasi Periplecomenus, qui modo dixit omnia parata esse ad senatum habendum, quae facienda essent de milite, metuat, ne, si cunctetur, Palaestrio, Pleusicles, Philocomasium sine ipso singulas partes ad militem decipiendum — tamquam provincias — sortiantur et inter se dividant.

Non mihi placet, quod Ribbeckius coniecit: 'ne ... ultimus sorti fuam'. 1) —

Idem subiectum in utroque enuntiato exstat novies: Trin. 255 Mil. 762 Pseud. 685 Bacch. 817 Truc. I, 1, 17 Trin. 1149 Cas. II. 6, 15 Pers. 363 Asin. 531.

Diversum legitur decies: Truc. I, 2, 9 Merc. 348 Mil. 93 ib. 595 ib. 1317 Stich. 764 Curc. 234 ib. 280 Pseud. 921 Aul. IV, 2, 14.

Particulam bis positam invenimus Truc. I, 1,17 — ubi semel verbum supplendum est 2) —, Merc. 348 — ubi ad alterum 'dum' additum est 'rursum' —, Cas. II, 6,15 Curc. 243.

Perfectum in principali enuntiatione est septem in locis:

Rud. 314 'adulescentem ..., dum hic astatis, vidistis?' — etiamtum, cum haec verba fiunt, 'astant'; — Poen. I, 2, 149 'Dum te exspecto, neque ego usquam aliam mihi paravi copiam Neque istuc usquam apparet:' Mil. 1271 'Dum te obtuetur, interim linguam oculi praeciderunt;' Amph. prol. 114 'nox est facta longior, Dum cum illa ... voluptatem capit;' Pers. 448 'dum stas reditum oportuit;' Trin. 30 Epid. 669.

---

1) Notionem multae tenendam esse et cogitandum de multa senatoribus qui ad senatum vocati non obsequebantur, solvenda, ut in adnotatione proposuit Lorenzius, non puto, cum ita, quid illud 'sortitus' sibi velit non appareat. Hoc potius cogitari posse existimo, irrepsisse illam vocem 'multae', et ita aliud vocabulum interiisse, velut 'expers', ut hic versus efficeretur: 'Ibo intro, ne, dum absum, [expers] sortitus fuam.' 'Expers' vocabuli exempla exstant Amph. 170 'operis et laboris expers'; Pseud' 489, cf. Ter. Heaut. 652.

2) cf. L. Afran. frg. 372 (Ribbeck: fragm. trag.) 'Dum me morigeram dum morosam praebeo, deinde . . '

b) Deinde haec particula contra atque exspectemus cum praesentis indicativo coniuncta est in iis locis, ubi de rebus aut praeteritis aut futuris agitur.

1. Loco praeteriti, tamquam praesens, quod vocant grammatici historicum, invenitur locis viginti sex. Initium faciamus ab iis, in quorum item primariis enuntiatis praesens historicum exstat: Bacch. 279 'forte ut adsedi in stega, Dum circumspecto me, atque [1]) ego lembum conspicor;' Cas. V, 2, 29 Bacch. 951 — Libri habent: 'ille mendicans paene inventus interiit, Dum ibi fata exquirit illorum', nisi quod Ba Da pro 'fata' praebent 'facta.' Interiit' servant Fleckeisenus et Ussingius. Sed quod metri causa ille — Jahn, annal. LXI p. 23 adn. — primam syllabam in 'interiit' corripi posse contendit brevi antecedente, iure, ut opinor, hoc refellit Müllerus — Pr. Pl. p. 333; 357 — Neque magis mihi probatur, quod Ussingius ultimas duas contrahi monet. Quare cum Ritschelio 'interit' scribendum et proxima verba propter metrum transponenda puto: 'Doli égo depraensus sum: ílle inventus mendicans paene interit, Dum e. q. s.' Pro 'fata illorum' vel, quod Ba Da habent, 'facta illorum', Gulielmus — Verisim. I, 22 — et Scaliger scripserunt: 'fata Iliorum'; equidem cum Ritschelio scribo 'facta Iliorum'. Quod Ussingius 'fata illorum' defendit, mihi non probatur. —

Trin. 166 'ruri dum sum ego unos sex dies, ... Aedis venalis hasce inscribit litteris'; Amph. 1120 Merc. 193 Mil. 308 — Hunc locum sic exhibent libri: 'Dum ego in tegulis sum, illac hec sunmtospicio edit foras' D, 'illac haec sum ospitio e. f.' C, illachec se (sed 'e' e corr.) ospitio e. f.' B. Camerarius alteram huius versus partem restituit in hunc modum: 'illac haec se hospitio educit foras', Lambinus: 'illaec se ex nostro hospitio eduxit f.'; Ritschelius 'eduxit' probans scripsit: 'illa ex suo se h. eduxit f.', Lorenzius: 'illa ex suo se h. dedit f.' — 'dedit' coniecit Lipsius (Ant. lect. IV, 14) —; Brixius exhibet: 'illaec suo se ex h. edit f.'; Ribbeckius: illa ec suo sed h. edit f'. —

---

1) de hoc usu vid. Kühner, l. c. II, p. 647; Draeger l. c. II. p. 60. Ceterum cf. Poen. III, 3, 38 Epid. 217 Most. 1050; — Capt. 479; 481.

Atque cum horum utroque 'edit' tenendum puto, quod verbum item invenitur Most. 698, ubi omnes libri cum A praebent: 'ex aedibus me edidi foras'.

Iam cum Brixio sic scribo:

'Dúm ego in tegulís sum, illaec [1]) suo se éx hospitio edít foras'. —

Duobus locis duo in principali enuntiato praedicata inveniuntur, quorum alterum perfectum, alterum praesens historicum exhibet: Merc. 97 'dum in porta illi ambulo, Hospes me quidam adgnovit, ad cenam vocat;' [2])

Men. 449 'ego dum hieto, Menaechmus se subterduxit mihi Atque abit ad amicam' — Non video, cur cum Brixio et Ussingio a scriptura 'abit' codicum BD auctoritate confirmata discedamus, sed eam cum Ritschelio tenendam arbitror. 'Abiit', quod illi receperunt, exstat in FZ, C habet 'abiit'. —

Sequantur exempla, in quorum primariis enuntiationibus exstat perfectum [3]): Trin. 839 'satis partum habeo, Quibus aerumnis deluctavi, filio dum divitias quaero'; Pseud. 1279 Stich. 366 Rud. prol. 37 Curc. 410 Poen. V, 5, 38 Cas. III, 3, 5 ib V, 4, 7; Epid. 650 — In B sic exstat: 'Quid? ego modo huic frater factus, dum intro eo atque exeo? In JFZ inter ‚dum' et 'intro' 'ego' iterum positum est. Atque in priore parte

1) 'illac haec', quod codd praebent, ex 'illaec' corruptum est. Perperam Buggius, qui hunc locum tractavit — Philol. xxx p. 639 —, in 'hec' vel 'haec' latere monet 'ex'. Quod affert Mil. 1338 pro 'ecferte' exstare 'hec ferte' in BD, 'haec ferte' in C, hoc nullius momenti est: Nam sola praepositio 'ex' in Mostellaria, quam exempli causa perquisivi, hanc corruptelam nunquam passa est. Neque in iis compositis, in quibus ipsa forma 'ex', non 'ec', verbum antecedit, quot quidem in Mostellaria exstant, umquam eam corruptelam factam esse inveni. Contra in compositis cum syllaba 'ec', quam habemus illo loco a Buggio allato in 'ecferte', saepius in libris pro illa 'hec' vel similia inveniuntur ut Most. 900; 906; 1120.

Immo 'ex', quod usu Plautino flagitari iure, ut opinor, monet Ritschelius — praef. ad h. f. p. xxvi —, excidisse arbitror.

2) vid. Draeger, l. c. I p. 207.

3) Plusquamperfectum in principali enuntiato exstat exempli causa Enn. ann. XI, 365 (Vahlen): 'Missaque per pectus dum transit, striderat hasta'; imperfectum Ter. Hec. 802: 'ineptus hodie dum illi sedeo, ut quisque venerat, accedebam.

hiatus vitandi causa recentiores editores, Goetzius et Ussingius, 'sum', quod omnino desideratur, inter 'modo' et 'huic' addunt; de altera autem parte restituenda dissentiunt: Goetzius enim secutus Brixium — Emend. Plaut. 1854; p. 4 — scribit: 'dúm ego eo intro atqu éxeo'; — sed cum cod. I 'ego' repetendum esse mihi non proebatur. — Ussingius exhibet; 'dum íntro eo atque [inde] éxeo'.

Müllerus, l. c. p. 713, proponit vel: 'Quíd? ego huic [quo] modo fráter factus súm, dum eo intro atque éxeo?', vel: 'Quíd? ego[n] huic sum fráter factus, dum íntro modo eo atque éxeo?

Equidem scribo: 'Quíd? ego[n] huic modo fráter factus súm, dum eo intro atque éxeo?' 'sum' inter 'factus' et 'dum' facillime omitti potuit, et quod praeterea mutavi, non multum a libris abhorret. —

Amph. 1098 'dum haec aguntur, interea uxorem tuam Neque gementem neque . . . plorantem audivimus'; Rud. 368 ib. 515. Cist. I, 1, 91 Poen. III, 6, 8 Cas. II, 3, 24; Merc. 924 'Mater iratast patri . . ., quia scortum sibi adduxerit . .' dum ruri ipsa abest'; Most. 1018 'mecum ut ille gesserit, Dum tu hinc abes, negoti quidquam?'

Idem in utroque enuntiato subiectum exstat duodecies (Bacch. 279 ib. 951 Cas. V, 2, 29 et ceterorum a Trin. 839 usque ad Epid. 650).

2. pro futuro, enuntiato vel omnino vel partim ad futurum tempus spectante, praesentis indicativus exstat: Mil. 197 'paulisper tace, Dum ego mihi consilia in animum convoco et dum consulo, Quid agam'; ib. 233 'tace, Dum in regionem astutiarum mearum te induco'; Pseud. 40 Pers. 500 Most. 99 Bacch. 988 ib. 1006 Cas. V, 2, 5 Rud. 1036; Trin. prol. 11 'Accipite et date vocivas [1]) auris, dum eloquor'. Propter permagnam huius loci similitudinem etiam Amph. prol. 96, ubi in codicibus sic exstat: 'nunc vos animum advortite, Dum argumentum huius eloquar comoediae', pro futuro praesens restituendum arbitror. —

1) vid. Brix. ad h. l. cf. Cas. III, 1, 13.

Rud. 779 'ego, dum abes, ut abeat non sinam'; Men. 257 'Ubi nil habebis, geminum dum quaeris, gemes' — 'quaeris' quod BCD praebent, cum editoribus praeferendum puto; A habet quaeres'. — Most. 688 'huc concessero, Dum mihi senatum consili in cor convoco'. — Asin. 914 'interea ut decumbamus suadebo, hi dum litigant'; Pseud. 572 Amph. 980 'Volo deludi illum, dum cum hac usuraria Uxore mihi nunc morigero'; Men. 330 Merc. 778 ib 1006.

Sunt omnino viginti exempla, quorum primariis in enuntiatis decies exstat imperativus — quater 'tace' —, ter futurum vel futurum exactum — Most. 688 —, sexies enuntiatum quoddam, unde imperativus vel futurum facillime subaudiri potest. — Mil 197, ubi duo praedicata leguntur in temporali enuntiato, particula quoque bis posita est.

II. Futurum invenitur locis duobus: Truc. IV, 2, 24— Codd. hunc locum sic praebent: 'Qui dedit interea magister dum tu commentabere, Volt interim illa itidem commentari'. Ac primum 'interim' recte ab editoribus ut spurium deletum est, quia contra metrum pugnat; irrepsit propter 'interea' in versu antecedente. Jam Spengelius cum Acidalio et Bothio in 'qui dedit' latere existimavit 'quod didici', et hoc cum antecedentibus coniunxit. Deinde sequentia sic restituit: 'interea, magister dum tu commentabere, Volt illa e. qu. s' Sed haec scriptura probar non potest, praesertim cum 'magister' minime possit appellari is, qui modo dixit: 'Discant (alii), dum mihi commentari liceat, n oblitus siem'. Et vir doctus cum ipse in ea re offenderit, in adnotatione recipiendum monet exempli causa 'apud magistram'. Mihi magis placet Baecheleri, quem secutus est Schoellius, coniectura, qui ex 'qui dedit' restituit 'quid erit' et scripsit in hunc modum: 'Quid erit interea magistrae? dum tu commentabere Volt ille itidem commentari'. —

De loco Amph. prol. 96, ubi codd. habent; 'nunc vos animum advortite, Dum argumentum huius eloquar comoediae', vid. p. 10. —

Men. 214, ubi libri exhibent: 'Jam hic nos erimus dum coquitur, interim potabimus', pro 'coquitur' propter metrum

certe cum Ritschelio, quem secuti sunt Brixius et Ussingius, restituendum est 'coqu e t u r'.

III. Perfectum exstat locis quinque: Mil. 409 'Dum te fidelem facere ero voluisti, absumptus' paene'; Stich. 630 'Dum parasitus mihi atque fratri fuisti, rem confregimus'; Cas. II, 6, 15 'Mihi dum dixi, huic volui atque adeo mihi dum cupio, perperam Jamdudum fabulor'; Amph. 599 'Ordine omnem rem, ut quicque actumst, dum apud hostes sedimus, Edissertavit' — 'dum', quod codd. habent, cum Fleckeiseno in 'quom' mutare — quod probant etiam Lübbertus, Synt. v. Quom p. 57, et Müllerus, l. c. p. 223, — vix opus sit. Quare 'dum' cum Ussingio retinui. 'omnem rem' scripsi cum Beckero — Studem. Stud. p. 307 —, quem secutus est Ussingius. Libri exhibent 'omne', quod ferri non potest. Fleckeisenus recepit 'omnia'. 'omnem rem' legitur item Capt. 377. Cas. V, 2, 18. Men. 679.

Mil. 505 — Optimi codices habent: 'meas confregisti imbrices et tegulas, Jbi dum condignam te sectatu's simiam'. Atque ego quidem 'sect a tu's' cum Brixio tenendum puto contra atque Ritschelius, Lorenzius, Ribbeckius, qui FZ et Servium ad Verg. Georg. IV, 296 secuti 'sectaris' exhibent. cf. exempla modo allata. —

(Sext. Turp. fr. 173 — Ribbeck: fr. com. [2] — 'Dum ego conixi somno, hic sibi prospexit vigilans virginem', 'conixi' pro perfecto praesente quod vocatur habendum videtur, ita ut 'conixi somno' idem valeat ac 'dormio'.)

Cap. II.

De locis, quibus vertimus hanc particulam „so lange als“ [1])

Cum in iis exemplis, quae modo absolvimus, praesens post 'dum' particulam cetera tempora longe superet, idque in iis quoque locis, ubi res ipsa sive ad futurum sive ad praeteritum pertinet, in exemplis, de quibus nunc videndum est, plerisque id

1) vid. Kühner, l. c. II p. 907; Draeger, l. c. II p. 602; Hand, l. c. II p. 303 sq. sq.

verbi tempus particula post se habet, quod principali enuntiato indicatur.

Omnino exstant exempla huiusmodi quinquaginta duo.

I. Praesentis indicativum praebent exempla triginta:

Capt. 84 'victitant suco suo (parasiti), Dum ruri rurant quos ligurriant'; Truc. II, 3, 1 'Piscis ego credo, qui usque dum vivont, lavant, Minus diu lavare'; Pers. 113 Truc. I, 2, 62 'Dum vivit, hominem, noveris; ubi mortuost, quiescas'; Men. 193 'Meretrix tantisper blanditur, dum illut quod rapiat videt'; — Holtzius — Synt. prisc. script. lat. II, p. 130 — et Draegerus — l. c. II p. 610 — notionem „bis" statuunt, ut ipse quoque Brixius vertendum docet. Mea autem sententia significatio „so lange als" accipienda est: Temporis spatium, per quod videt, 'quod rapiat', oppositum est ei, quo illud re vera habet. Minime, ut Brixius interpretatur, meretrix tum, cum quid invenit, quod impetrare se posse putat, abstinere existimanda est blanditiis, immo iam valde eas amplificare, ut id, quod vidit et cupit, re vera impetret. Tum vero, cum impetravit, quod affectat, blandiri desinit. —

Pseud. 1126 'dum recens est, Dum datat, dum calet, devorari decet'; — 'datat' pro 'datur', quod in codicibus est, scripsit Ritschelius, quem, secutus est Lorenzius. vid. Lor. ad Pseud. 407 —

His exemplis enuntiatur aliquid, quod usu comprobatur.

Praeterea habemus: Men. prol. 72 'Haec urbs Epidamnus est, dum haec agitur fabula'; Truc. prol. 11 — Codd. praebent: 'Athenis (vel Athinis) tracto ita ut hoc est proscaenium, Tantisper dum transigimus hanc comoediam'; Pro Athenis tracto', quod nullum sensum praebet, Spengelius coniecit: 'Athenis haec sunto', Studemundius — Hermes I p. 303 —: 'Athen[ae] ista[e]c sunto.' Sed magis mihi placet Schoellii coniectura: 'Athenas traloco.' Quod Müllerus, l. c. p. 510 — scribi vult: 'Athenae haec urbs (vel 'hoc astu') est', hoc tam longe recedit a codicum scriptura, ut probari nequeat. —

Bacch. 737 'Mane dum scribit'; Merc. 553 'dum potis, ames', Most. 20; Pers. 811 'Delude ut lubet, erus dum hinc

abest'. Truc. IV. 2, 3 Nunc dum isti lubet, dum habet, tempus ei rei secundumst'; — Codd. praebent: 'iusti iubet', in quo quin lateat, quod vulgo acceptum est, 'isti lubet', dubium non videtur. Quare Spengelii coniecturam 'subest' improbandam censeo; neque magis mihi placet, quod Schoellius proponit: 'dum instat'. —

Stich. 696 — Codd. praebent: 'Sed amica mea et tua dum cenat dumque se exornat, nos volo Ludere inter nos'. 'cenat', quod corruptum esse apparet, iure, ut opinor, editores mutaverunt in 'comit'. Jam Ritschelius, cum ei persuasum esset, syllabam 'ex' in 'exornat' non posse brevem esse, ut legeretur: 'dúmquĕ se ĕxòrnat', versum sic scripsit: 'Sét amica mea et túa dum comit se átque exornat, nós volo . .' Sed hoc longius a libris recedit. Contra illum Fleckeisenus syllabam 'ex' in exornat' pro brevi sumere non dubitavit scripsitque cum codicibus: 'dum comit dumque se exornat'.

Rectius Müllerus — l. c p. 315 — ad illam difficultatem tollendam monet aut ,que' ad alterum 'dum' omittendum aut pro 'exornat' scribendum 'ornat'. Equidem de hac quoque mutatione cogitari posse arbitror:

'Sét amica mea et túa dum comit se ét dum exornat, nós volo . .'

Quo modo ,se' transpositum sit, facile intelligitur: nam postquam 'comit' in cenat' corruptum est, fieri non potuit, quin ,se' post hoc verbum omitteretur et ante 'exornat' poneretur. — Coniunctionis bis positae et 'et' particula coniunctae exemplum invenitur Mil. 197. —

In primariis enuntiatis habemus item praesentis indicativum: Men. 193 Capt. 84 Truc. II, 3, 1 Men. prol. 72; coniunctivum potentialem; Truc. I, 2, 62; imperativus subaudiri potest: Pseud. 1126 Pers. 113 — 'decet' cum infinitivo —, Truc. IV, 2, 3 — 'tempus ei rei secundumst —; imperativus ipse exstat: Truc. prol 11 Bach. 737 Pers. 811 Most. 20; coniunctivus hortativus: Merc. 553; 'volo' cum structura accusativi cum infinitivo: Stich. 696.

Praeterea sunt duo loci, ubi in principali enuntiatione invenitur futurum, praesens in altera:

Most. 217 'ci illum inservibis solum, Dum tibi nunc haec aetatulast, in senecta male querere', et Asin. 463 'credam fore (salvom)' dum quidem ipse in manu habeo'; — Sic habent codices, nisi quod in B 'habeo' in habebo' mutatum est. Et hoc cum antiquioribus editoribus etiam Fleckeisenus in textum recepit, 'ipse' ante 'habebo' posito. Sed futurum minime flagitatur[1]). Quare cum Ussingio et Goetzio praesens 'habeo' servandum et metri causa 'ipse' in 'ipsus' mutandum censeo:

'Credám' fore dum quidem ípsus in manu hábeo'. —

Restant ea exempla, in quibus rem ipsam primariam et secundariam non per idem temporis spatium manere contenditur, sed ea inest vis, ut illam, nisi intra alterius fines accidat, omnino eventum habere non posse indicetur.

In temporali enuntiato legitur 'dum licet' quater — bis cum 'salvo' coniunctum —, 'dum occasio tempusque datur' — Men. 552 —, 'd. occasio est' — Poen. prol. 42 — in omnibus inest haec sententia: 'quamdiu fieri potest' vel 'tempus est': Men. 878 'Quid cesso abire in navem, dum salvo licet?' Truc. II, 7, 69; Curc. 170 'Ipsus se excruciat, qui homo, quod amat, videt nec potitur, dum licet;' Rud. 854 Utrumvis opta, dum licet;' Men. 552 'quid ego cesso, dum datur[2]) mi occasio Tempusque, abire?' Rud. 123 'Quin tu . . . exicas . . harundinem, Qui pertegamus villam dum sudumst?'

Poen. prol. 41 sq sq 'Dum ludi fiunt, in popinam . . . Inruptionem facite; nunc dum occasio est, Nunc scribilitae dum aestuant, accurrite, — Sic scribo cum Müllero — l. c. p. 499 —; B habet 'dum scribilitae', C 'dum scriplitae'. — ib. IV, 2, 92 'nihil est, nisi, dum calet hoc agitur.'

II. Futurum exstat locis decem: Mil. 50 'Dum tale facies quale adhuc, adsiduo edes'; Men. 93 'Facile adservabis, dum

1) cf. imprimis Amph. 721: 'tu malum magnum habebis, si hic suum officium facit.

2) cf. Ter. Andr. 556: 'dum tempus datur'.

eo vinclo vincies'; — Pseud. 339 'dum ego vivos vivam, nunquam eris frugi bonae;' ib. 507 Cas. II, 8, 50. Asin. 870 — Men. 428 'Mea . . . causa vivito Vel usque dum regnum optinebit Juppiter'; — Rud. 558 'tibi . . . copiast, Dum lingua vivet, qui rem solvas omnibus'; Bacch. 226 'non metuo mihi nec quoiquam supplico, Dum quidem hoc valebit pectus perfidia meum': ib. 443 'Noster esto, dum te poteris defensare iniuria'— Hic item Holtzius (l. c. II, 130) et Draegerus (l. c. II, 610) vertunt particulam „bis". Sed sensus hic est: 'Quamdiu te ab iniuria defendes, amore nostro semper uteris; nam ita recte et ut nobis dignum est facies'. 'Noster esto' amorem parentum significat; cf. Mil. 898 Truc. V, 61. —

In primaria enuntiatione item futurum est sexies, bis imperativus; praeterea exstat coniunctivus pendens a pronomine relativo, in quo latet 'ut' consecutivum — Rud. 558 'tibi' copiast qui solvas' —, praesentis indicativus — Bacch. 226 —,

III. Praeteritum duodecies inveni, atque perfectum undecies: Most. 134 'ego ad illut frugi usque et probus fui, In fabrorùm potestate dum fui'; Merc. 373; — Truc. II, 1, 7 ,Dum fuit, dedit'; Pseud. 256 'Dedi dum fuit'; Mil. 1221 — Optimi codd. habent: 'cum ipso pol sum locuta Placide ipse dum libitum est mihi, otiose me arbitrii, ut volui'. Ritschelius omisso 'ipse' scripsit: 'Placidé dum lubitumst [1]) mi, ótio, meo árbitratu, ut vólui'. Equidem omisso 'ut volui', quod glossematis loco habendum esse docent Lorenzius et Müllerus — l. c. p. 290 —, cum illo scribo: 'cum ipso pol sum locuta Placide ípsa, dum lubitúmst mihi, otióse, meo arbitrátu'. —

Epid. 178 'Hercules ego fui, dum illa mecum fuit'; Amph. 638 — Truc. II, 4, 39 'quasi uxorem sibi Me habebet anno dum hic fuit' — Codd., qui praebent: 'annoum dum', potius ad 'anno', quod Lipsius Ant. lect. I, 3 scripsit, ferre videntur, quam ad 'annum', quod Spengelius Camerarium secutus recepit.

1) cf. Ter. Hec. 837 'dum licitumst.

Nam 'um' syllaba facilius irrepere potuit propter sequens 'dum' quam 'o'. — Capt. 925 'Quas (miserias), dum te carendum hic fuit, sustentabam' — Ita ex Acidalii coniectura scripserunt recentiores editores; codd. praebent: 'Quae adhuc te carens dum hic fui', ex quibus et 'quae', quod ad 'miseriis' pertinet, et 'carens fui' maxime offendit. — Ceterum Holtzius — l. c. II, p. 127 — hic notionem „während" subesse contendit; sed hoc vult Hegio: 'Quamdiu tu apud hostes fuisti, tamdiu magnas miserias tuli; sed nunc, cum tu ad nos redieris, "quom (di) te reducem tuo patri reddiderunt", illis miseriis liberatus sum'. —

Truc. II, 4, 29 'tempestas quondam dum vixi fuit, Quom inter nos sordebamus' — Sic scribit Spengelius Ambrosianum secutus, qui exhibet: 'quondam dum vivixi fuit.'

Et haec scriptura Ambrosiano commendata tenenda mihi videtur, quamquam sunt qui in ea offenderint, ut Schoellius, qui 'dum vixi' pro pravo interpretamento vel supplemento habendum esse monet scribitque exempli gratia: 'Verum temp., vita mea, quondam fuit'. — B C D, qui habent: memini quondam fuit' secuti scripserunt Camerarius: 'memini cum quondam', Bothius, 'memini enim quondam', alii alia. —

Mil. 1409 'Loquere, dum non nihili factús' — 'dum non' pro 'nondum', quod libri exhibent, sine dubio recte restitutum est a recentioribus.

Ceterum hic forma solum perfectum exstat; re vera 'factus es' idem valet ac simplex 'es'.

In plerisque exemplis primarium enuntiatum ipsum quoque perfectum praebet — Merc. 373 ex antecedente interrogatione 'usquen valuisti?' 'valui' forma supplenda est.

Amph. 638 'data est' eandem fere praebet vim ac 'fuit'.

Bis in eo habemus imperfectum: Truc. II, 4,39 et Capt. 925.

Restat unum huius notionis exemplum, ubi imperfectum exstat: Truc. I, 2, 63 'Te dum [1]) vivebas, noveram'.

1) cf. Ter. Andr. 54; Eun. 728.

Cap. III.

De particula 'dum' notione „bis" [1].

Postremo dicendum est de iis exemplis, in quibns haec particula „bis" significat.

I. Praesentis exempla inveni viginti duo [2])

Horum in plerisque futurum vel futurum exactum desideramus. —

Capt. 233 'Quod sibi volunt (homines), dum id impetrant, Boni sunt'. — Neque enim assentior Draegero (l. c. II, 602), qui notionem „so lange als" hoc loco in coniunctione 'dum' inesse voluit. Nam 'impetrare' non pertinet ad longius temporis spatium, sed notat terminum quendam, quo actioni petendi finis imponitur. [3]) cf. sequentia: 'sed ubi iam penes sese habent, Ex bonis pessumi . . . Fiunt.' Itaque ne Brixii quidem ratio probari potest, qui cum verbum 'impetrare' interpretetur, quasi idem sit atque 'impetrare studere', sic explicat: 'quamdiu impetrare student'. —

Reliqua exempla sunt haec:

Rud. 879 'ibidem ilico Manete, dum ego huc redeo [4])'; ib. 1032 'Mane dum refero conditionem'; Epid. 633 Cas. IV, 3, 1 Poen. II, 1, 44 Rud. 880 Curc. 466 Asin. 328; Truc. IV, 4, 34 'Quem ego ecastor mage amo quam me, dum id quod cupio inde aufero'. — Holtzius quidem (l. c. II 129) vertit particulam „so lange als": ego notionem „bis„ praefero: nam illud 'aufero' non longioris temporis spatii est, sed terminus est vel eventus eorum, quae Phronesium contra militem molitur. —

Most. 683 'Ego hic tantisper, dum exis, te opperiar foris' — Hoc loco qua ratione Draegerus (l. c. II p. 602) no-

1) vid. Kühner II p. 912 Draeger II p. 609.

2) versus Poen. 1405 rationem non habui, cum dubium esse non possit, quin extrema huius fabulae pars posteriore tempore addita sit.

3) cf. Caecil. Stat. 109 (Ribbeck: frg. com. [2]): Fit obsequens . ., dum id quod petit potitur', — ubi item perperam, ut opinor, Holtzius (l. c. II. p. 128) vertit „während".

4) de indicativi in talibus exemplis vi vid. p. 21.

tionem „ſo lange als" subesse velit non intelligo. — Poen. III, 5, 41 'mihi . . . operam date, Dum me videtis servom ab hoc abducere' — 'videtis' est coniectura Guyeti; cod. C habet 'videatis', quod cur improbem vid. p. 24 —

Mil. 1404 'mane dum narro' ubi miles a Periplecomeno petit, ut se prius narrare sinat, quam lorarios secare patiatur.

Truc. IV, 4, 21 '(Sinas esse eum apud me) Triduom hoc sal — tem, dum miles aliqui circumducitur';
Rud. 938 Curc. 253 ib. 242 Rud. 575 ib. 774 Mil. 583 (cf. Ter. Ad. 785); ib. 1334 'ne interveneris, Quaeso, dum resipiscit' — Codd. habent 'respicit', unde coniecit Camerarius: 'respicito' cum 'quaeso dum' construendum. Sed verum videtur esse 'resipiscit', quod exstat in editione principe et a recentioribus editoribus receptum est. —

Merc. 657 — Codd. habent: 'Quanto te satiust rus aliquo abire, ibi esse, ibi vivere, — Adeo dum illius cupiditas te . . . missum facit' — In priore versu, ut caesura suum locum (post thesin quarti pedis) obtineat, cum Ritschelio transponendum puto: 'Quanto satiust rus abire te aliquo;' sed pro 'ibi esse, ibi vivere' cur scribatur cum illo: 'atque ibi te vivere', causam non video.—

In his exemplis in principali enuntiato exstat
imperativus decies: Mil. 1404 Rud. 938 ib. 1032 Curc. 253 Rud. 879 ('mane' vel 'manete'); Epid. 633 (opperire); Curc. 242 (perdura); Poen. III, 5, 41 (operam date); Cas. IV, 3, 1 Rud. 575; — semel
enuntiatum loco imperativi (quanto satiust rus abire te) — Merc. 657 —; semel
prohibitivus — Mil. 1334 —; semel
coniunctivus hortativus — Poen. II, 1, 44 —; ter
coniunctivus pendens ab 'ut' et verbo rogandi vel suadendi — Truc. IV, 4, 21 Rud. 774 ib. 880 —, ter
futurum — Most. 683 (opperiar) Mil. 583 Curc. 466 —, semel
praesens minus diligenter pro futuro positum — Truc. IV, 4, 34 —; semel
futurum exactum — Asin. 328 —

Deinde singulis locis legitur futurum, futurum exactum, perfectum.

II. Futuri exemplum invenitur Amph. 472 'Erroris ambo ego illos et dementiae Conplebo ... Adeo usque satietatem dum capiet pater'.

III. Futurum exactum hanc particulam sequitur Pers. 52 'Usque ero domi, dum excoxero lenoni malam rem.'

IV. Perfecti — vel praesentis historici — exemplum exstat Curc. 682 'decem minas dum hic solvit, omnis mensas transiit.' Hic locus offendit propterea, quod illud 'solvere decem minas' non statim sequitur 'omnium mensarum transitionem'. Immo argentarius ille solvit, non postquam mensas transiit, sed postquam eum 'amici compulerunt'. Dicit leno ita, quasi hoc 'omnis mensas transire illum' gravissimum sit eorum, quae facta sunt usque ad ipsum tempus solvendi.

B.

De particula 'dum' cum coniunctivo coniuncta.

Quoniam priore huius dissertationis parte de iis locis exposuimus, quibus haec particula cum indicativo coniuncta invenitur, nunc transeamus ad eos, ubi coniunctivus eam sequitur.

Ac recentiores quidem grammatici, imprimis Kühnerus et Draegerus [1]), consentiunt de coniunctivo — maxime post 'dum' notione „bis" posito — interpretando, cum hanc inesse dicunt vim, ut ad consilium quoddam sive exspectationem referantur ea, quae illa temporali enuntiatione proferantur. Sed ab hac interpretatione abhorrent multa exempla, velut haec: Most. 683 'Ego tantisper, dum exis, te opperiar'; vel Rud. 879 'ibidem ilico Manete, dum ego huc redeo;' vel Epid. 633 'Opperire dum effero e. qu. s.'; vel Curc. 242 'aliquot dies perdura, dum intestina exputescunt;' vel. Rud. 1032 Mil. 583 alia.

Quae cum ita sint apparet eo, quod exspectari aliquid significatur, per se coniunctivum non effici. Neque tamen conce-

1) vid. Kühner, l. c. II. p. 913; 912 Draeger, l. c. II p. 610; cf. Hand: Tursell. II p. 319.

dendum est, sine ullo discrimine modo coniunctivum modo indicativum positum esse — vid. Draeger II p. 609 et cf. Hand, l. c. II p. 319 —

Immo repetendus est usus ex primaria propriaque natura coniunctivi, quo contra atque indicativo — qui simpliciter aliquid prorsus ac per se esse exprimit — significari constat id, quod non per se, sed cum condicione coniunctum ideoque incertum est.

Hinc efficitur, ut post 'dum' coniunctivus exstet et in iis locis, ubi quid in mente agitari exprimitur, omnino, et in iis, ubi quid exspectari enuntiatur, ita, ut, num eventurum sit id, quod exspectatur, in medio relinquatur. [1]) Hoc igitur tenendum est in tractandis exemplis Plautinis: Quod Most. 683 Theuropides servo, quem iussit vicinum, cuius aedes a filio emptas ille finxit, rogare, ut ipsi eas inspicere liceret, dicit: 'dum exis, te opperiar foris', is se pro certo illius reditum exspectare demonstrat. Quod contra Mil. 1249 Milphidippa Acroteleutio, quae in militis aedes intrare se velle aut eum foras evocari fingit, obicit: 'Immo opperiamur, dum exeat aliquis', hic illud, quod exspectatur — 'exire aliquem' — in medio relinquitur num eventurum sit. — cf. Rud. 870 'Manete dum ego huc redeo'; Bacch. 48 'dum is veniat, opperibere', alia.

His praemissis ad propositum accedamus. Ac liceat mihi ab ea, quam altera in parte secutus sum, ratione deflectere et exempla ordine temporum, quae particulam sequuntur, componere.

Cap. IV.
De 'dum' particula cum coniunctivo praesentis coniuncta.

Jam initium capiamus ab iis locis, ubi

1) Nam quae in mente agitantur num futura sint linguae usu omnino pro incerto sumitur; in iis vero, quae exspectanturu hoc pendet a loquentis iudicio. — Perversum esse mihi videtur, quod Kühnerus, (l. c. II, 91 § 31, 7) — cf. Lübbert, Synt. v. Quom, p. 81 — coniunctivum praesentis nonnunquam pro futuro positum esse contendit. Futurum enim pro sua natura significat id, quod certe eventurum est loquentis iudicio.

1. consilium latet, et primum ponamus eos, in quibus

a) notio „bis“ inest.

Sunt omnino quinque exempla:

Truc. I, 1, 2 'Non omnis aetas ad perdiscendum sat est Amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis' — Alteram huius loci partem: 'Amanti, dum id perdiscat e. q. s.', interpolatam esse monet Schoellius in Act. soc. phil. Lips. II p. 428 —

Asin. 935 'Non licet manere — cena coquitur —, dum cenem modo?' — Holtzius — l. c. II p. 182 — perperam, ut opinor, notionem „so lange als“ subesse existimat. — ib. 429 — Codd. habent:

'Quia triduom . . . foro operam adsiduam dedi, Dum reperiam qui quaeritet argentum in fenus, hic vos Dormitis', quod defenderunt Fleckeisenus et Ussingius ita, ut versus causa 'dedi' ponerent ante 'operam':

Quia tríduom hoc unúm modo foró dedi operam adsíduam . . .'

Sed ego quidem praesens desiderari puto; nam, si perfectum genuinum esset, certe in sequenti versu coniunctivi imperfecti — dum reperirem qui quaeritaret — ponendi erant. — cf Pseud. 1282 'Inde huc exii, crapulam dum amóverem' — Quare cum Goetzio praefero 'óperam adsiduam dédo'. — Rud. 1190.

'Quid meliust quam . . . ut me suspendam clanculum, Saltem tantisper dum apscedat haec a me aegrimonia? — Hoc iocose dictum est. Aptior sane videri poterat significatio „wenn nur,“ quam tamen quominus accipiamus impedit antecedens 'tantisper.' — Curc. 526 'istas minas decem, qui me procurem, Dum melius sit, mihi des'.— Cum cod. E, quem secuti sunt editores, 'sit' scripsi; B habet 'fit.' —

Deinde affero duos locos, ubi particula

b. valet „während“ ita quidem, ut consilium indicetur eius qui loquitur: Truc IV, 2, 6 ib. I, 2, 9.

Priore loco: 'Ego hic interim . . praesidebo, Istic dum sic faciat domum ad te exagogam,' consilium indicari maxime apparet ex iis quae sequuntur: 'Nec quemquam interim istoc ad vos qui sit odio Intromittam.' ut sensus sit: 'Animadvertam, ne

quis introeat vobisque odio sit, ut 'istic' interea opes suas ad te deferat.' — Minus apta certe est notio „bis," quam Holtzius (l. c. II, 182) statuendam putat. — Truc. I, 2, 9 codd. habent: 'Oenus — B, 'unus' CD — eorum aliquis oculum amicae usque oggerit, dum illi agant . . .' In 'oculum' Camerarius et Spengelius 'osculum' vel 'osclum' latere putaverunt. Magis mihi placet, quod Schoellius coniecit, 'ioculum.' 'Agant' plurimi Lambinum secuti in 'agunt' mutaverunt; Schoellius scripsit 'harpagant.' Sed quod in libris est, teneri posse existimo, cum sensus sit: 'Ubi adulescentes — de quorum malis moribus Astaphium verba facit — ad meretricem advenerunt, unus eorum cum illa iocatur eo consilio, ut interea ceteri agant, i. e. furentur.' — Quod ad metrum attinet, cum Spengelio (vid. adnot. ad h. l.), Studemundio (Zeitschr. für Gymnasialwes. XVIII p. 535), Schoellio tetrametrum iambicum acatalectum, quem maxime commendari codice B Spengelius monet, restituendum putavi in hunc modum:

'Oenús eorum aliqui ióculum amicae usque óggerit, dum illí [sce] agant.' —

Veniamus nunc ad ea praesentis coniunctivi exempla, in quibus

2. aliquid exspectari significatur, quod num eventurum sit in medio relinquitur. Sunt omnino duodecim: Truc. II, 6, 1 'Ne exspectetis . . ., meas pugnas dum praedicem;' Preud. 1234 Cist. V, 2, 1 'Ne exspectetis, dum illi huc ad vos exeant.' [1]) — Rud. 722 'Non illum exspectare oportet, dum erus se suscitet ad suum officium'. — Mil. 1249 'Immo opperiamur, dum exeat aliquis,' quem locum iam supra commemoravimus. Huic exemplo similia sunt: Trin. 757 'Dum occasio ei rei reperiatur, interim Ab amico alicunde mutuom argentum rogem;' Poen. IV, 2, 107 'dum erus adveniat a foro, opperiar domi;'

---

[1]) cf. Ter. Andr. 980 — praeterea comparari potest. Cic. Tusc. II, 7, 17: 'Exspectas fortasse, dum dicat 'patietur'.

Rud. 328 'quid mihi meliust, quam ilico hic ut erum opperiar dum veniat?' Men. 883 'oculi . . . dolent Manendo medicum, dum se ex opere recipiat;' Amph. 697 'paulisper mane, Dum edormiscat unum somnum;' Bacch. 932 'Nunc huc priusquam senex venit, lubet lamentari dum exeat;' ib. 48 — Codd. habent: 'atque ís dum veniat sédens ibi opperíbere,' quod correpta ultima syllaba vocis 'sedens' probaverunt Fleckeisenus et Ussingius. Sed num haec syllaba corripi possit, cum Ritschelio et Müllero — l. c. p. 140 — dubito. Quare cum illo transponendum censeo: 'atque íbi sedens dum is véniat opperíbere.' —

Poen. III, 5, 41 habet cod. C: 'mihi . . . operam date, Dum me videatis servom ab hoc abducere' Equidem cum Guyeto scribendum esse dixi — p. 19 — 'dum me videtis:' Cum coniunctivo enim particula coniuncta invenitur post verba exspectandi — quam significationem hic quoque in 'operam dare' latere elucet — tum maxime, cum id, quod exspectatur, ad tertiam personam pertinet — Mil. 1245 'opperiamur dum exeat aliquis'; cf praeterea Bacch. 48 Rud. 328; Ter. Andr. 977 Phorm. 480; — contra si id spectat ad loquentem ipsum vel ad eum, quocum loquens verba facit, indicativus locum habere solet — Rud. 879 'Manete, dum ego huc redeo;' Most. 683 'dum exis te opperiar;' Epid. 633; Ter. Andr. 714 Heaut. 833 Phorm. 982 Ad. 196 [1]) —

Quare etiam hic indicativum praeferendum putavi.

Deinde inveniuntur

3. duo coniunctivi potentialis quem vocant, exempla: Poen. IV, 2 62 (Metuo), dum ero insidias paritem, ne me perduim;' Pseud. 629 'dum tu sternuas, Res erit soluta' — Libri habent 'strenuas,' quod Ritschelius etiam in Ambrosiano cognovisse

[1]) Cur hoc ita se habeat facile intelligitur: nam si quis iubet aliquem opperiri, dum ipse aliquid facturus sit, vel si dicit se mansurum, dum aliquid ab eo, quocum loquitur, fiat, hoc quin re vera futurum sit minus-dubium esse solet, quam si quis se opperiri enuntiat, dum alius quidam facturus sit aliquid, vel eum, quocum verba facit, opperiri iubet.

sibi videbatur. Itaque scripsit: 'dum te strenuas, res erat soluta,' quamquam ipse quoque in verbo 'strenuare' offendit. Magis in hac forma offendit Bergkius, qui legi voluit — progr. univ. Hal. in a. d. IV. Non. Aug. a. MDCCCLXII p. 4 —: 'Dum tu obstinas, res erit soluta.' Sed Ritschelius in Ambrosiani scriptura erravit. Is enim praebet — ut cognovit Studemundius, quem vid. Herm. I. p. 308 —: DUMTUSTERNUAS et in sequenti versu: RESERITSOLUTA. Vid. Lorenz. ad h. l., qui ipse quoque hanc scripturam recepit. —

Veniamus nunc ad ea exempla, in quibus

4. coniunctivus efficitur constructione orationis obliquae. Exstant huiusmodi quattuor exempla: Pseud. 564 'Suspiciost mihi nunc vos suspicarier, Me idcirco haec tanta facinora his promittere, Quo vos oblectem, hanc fabulam dum transigam;' Asin. 369 'narra . . . Te ex Leonida futurum esse atriensem Sauream, dum argentum adferat mercator;' Truc. II, 4, 86 'Ostendit . . . Se mihi infidelem nunquam, dum vivat, fore' — 'dum vivat' recte Spengelius ex cod. Paris. et Nonio restituit. Quod BCD habent, 'ne vivat,' sensu caret. 'se mihi,' quod codd. habent, retinendum putavi cum Spengelio; Buechelerus scripsit; 'Scio mi,' Schoellius: 'Sensi.' —

Bacch. 1193 'non tíbi venit in mentém amabo, Si dum vivas, tibi bene facias, iam pol id quidem esse hau perlonginquom?' Sic habent libri. Ritschelius ad hiatum — 'mentem amabo' — vitandum delevit 'amabo' et ante 'tibi' inseruit 'iam,' ut efficeret hunc versum:

'Caput prúrit: perii. víx negito. — non iám tibi venit in méntem,' qui est octonarius anapaesticus catalecticus, ut versus antecedentes. Fleckeisenus scripsit: 'Non tíbi in mentemst, te amábo.' Sed num recte dicatur: 'mihi in mentem est,' valde dubito. Ac ne Ritschelii quidem coniecturam probo, cum 'amabo', quod ille 'invectum esse ex iis, quae praecedunt in libris,' putabat, tenendum mihi videatur. Immo cum Müllero — l. c. p. 91 — et Spengelio — T. Maccius Plautus p. 232 — hunc (octonario anapaestico) habendum esse pu-

to. [1]) Itaque cum Müllero scribo: 'Caput prúrit: perii. víx negito. — non vénit in mentem tíbi, amabo,' ut nihil mutatum sit nisi 'tibi' transpositum. — Spengelius - l. c. - scribit: '. . . . non tibi amabo venit in mentem.' — Item insequentem versum, quem ipsum quoque Ritschelius, 'iam' et 'quidem' omissis, ut catalecticum scripsit, Müllerus iure, ut opinor, cum libris pro acatalecto habendum esse monet:

'Si, dúm vivas, tibi béne facias, iam pól id quidem esse hau perlónginquom?' —

Primo loco — Pseud. 564 — particulae notio „während" tribuenda est; Asin. 369 habet significationem „bis", ceteris duobus locis „so lange als". Restant

5. sex praesentis coniunctivi exempla: Rud. 499 'Deosque immortalis quaeso, dum vivas, uti Omnis tui similis hospites habeas tibi;' Curc. 664 'Quid dotis? — egone; ut semper, dum vivat, me alat;' Cas. II, 8, 30 'Ut tibi, dum vivam, bene velim plus quam mihi'; Pers. 494 — Codd. exhibent: 'Unde tu pergrande lucrum facias: faciam ut mei memineris, dum vitam vivas'. Ritschelius ad versum anapaesticum octonarium acatalectum restituendum 'faciam ut' delevit: 'Unde tú pergrande lucrúm facias: mei méminеris dum vitám vivas'.

Mihi magis placet altera illius coniectura, quamquam ipse eam minus probabilem esse dixit: 'Unde tu pergrande lucrum facias: faciam út mei memineris dúm vivas'. cf exempla modo allata et Truc. II, 4, 86 Bacch. 1193, ubi item solum 'vivas' sive 'vivat' reperitur. —

Deinde Poen. prol. 20 'Ne sessum ducat (dissignator), dum histrio in scena siet'; Truc. II, 1, 21, 'Dum habeat[2]) (amator), tum[3]) amet' — De horum utroque animadvertendum est,

---

1) cf ib. 1076; 1078; 1080; 1082; sq. sq.

2) 'habeat' in omnibus codicibus exstat. Geppertus in Ambrosiano 'habet' legere sibi visus hoc in textum recepit, eumque secutus est Spengelius.

3) pro 'tum', quod codd. praebent, 'dum' receperunt Lambinus et deinde Handius — Tursell. II p. 317 —, Müllerus — Nachtr. p. 141 —, Fleckeisenus — ann. philol. C I p. 647 —. Hauptius — Opusc. II p. 473 —, Schoellius; cf Kühner — II p. 908 (§ 210 adn. 1) —. Equidem cum Spengelio 'tum' retinendum putavi. Ceterum hoc unum illius modi exemplum esset Plautinum.

complures et antecedere et insequi coniunctivos. — Hic hanc solam puto esse coniunctivi explicationem, ut ex attractione quadam modorum repetatur. In quattuor illis locis, quos priores posui, coniunctivum verbi 'vivere' legimus. Atque operae pretium sit haec exempla comparare cum iis, ubi futurum eiusdem verbi exstat, — Pseud. 507 'Nunquam ... quoiquam supplicabo, dum quidem tu vivos vives'; ib. 339 Rud. 558 —; facile intelligitur, magnam inter utrumque genus interesse differentiam. Nam cum in his secundaria enuntiatio multum valeat et cum principali artissime cohaereat, ita ut haec, ad hunc sensum efficiendum, sine illa cogitari non possit, in illis contra temporale enuntiatum additamentum est levioris momenti, quod sine magno detrimento vel negligi vel una vocula 'semper' compensari possit. Ut primo loco — Rud. 499 — 'dum vivat' si deesset, nihil desideraretur. Item Pers. 494 et Curc. 664 'semper', quod altero loco ad 'd. vivat' abundanter additum est, eundem fere sensum efficeret. [1]).

Hanc ipsam ob causam, praeterquam quod illud exemplum omnino simillimum est exemplis commemoratis, in loco Cas. II, 8, 30 — 'Ut tibi, dum vivam, bene velim e. qu. s.' — 'vivam' pro coniunctivo sumendum putavi.

Cap. V
De 'dum' particula cum coniunctivo imperfecti sive plusquamperfecti coniuncta.

Imperfecti coniunctivi exempla exstant omnino octo. In his.

1. consilium subauditur: Pseud. 1282 'Inde huc exii, crapulam dum amoverem'; Mil. 869 'subcustodem ... Foras ablegavit, dum ab se huc transiret'; ib. 950 'misi parasitum .., Ut latrones .. ad Seleucum duceret, Qui eius regnum tutarentur, mihi dum fieret otium'

Deinde sunt duo, in quibus.

2. exspectatio quaedam subest: Truc. IV, 3, 69 'haud

1) cf. Ter. Heaut. 951. Ad. 681. Phorm. 1030.

mansisti, dum ego darem illam' — Codd. habent: 'mans istidē' B, 'mansisti idem' CD, unde sine dubio recte Camerarius restituit: 'mansisti dum', quod editores receperunt. — Trin. 170 'observavit, dum dormitaret canes' — 'dormitarent', quod libri praebent, scripsisse videntur librarii propter non intellectam priscam singularis formam 'canes'. --

3. Rud. 1261 — 'Dum praedam habere se censeret, interim Praeda ipsus esset' — coniunctivus eandem prae se fert vim, quam in enuntiationibus condicionalibus, quas dicimus irrealibus.

4. Epid. 501 — 'Conducta veni, ut fidibus cantarem seni, Dum rem divinam faceret' — coniunctivum 'faceret' ex temporum ac modorum attractione intelligendum arbitror. Exspectabamus enim: 'dum . . . faciet'; sed propter antecedentem imperfecti coniunctivum 'ut . . . cantarem' hic quoque coniunctivus imperfecti positus est. [1])

5. In oratione obliqua hunc coniunctivum legimus Epid. 316 — Libri habent: mane me iussit senex Conducere aliquam fidicinam sibi huc domum, Dum rem divinam faceret, cantaret sibi' — Ad efficiendum iustum verborum nexum Guyetus pro 'sibi huc domum' scripsit: 'me, quae domi', et pro 'me' v. 314 posuit 'enim': 'mane enim iussit s. cond. al. fid. me, quae domi . . . cantaret sibi'. Goetzius coniecit: 'quae hodie domi cantaret', quod magis mihi probatur. 'Quae' certe requiritur. Quod Ussingius, 'sibi huc domum' servato, post 'domum' in fine versus inseruit 'ut', multum habet offensionis. —

In his tribus locis — Rud. 1261. Epid. 501 ib. 316 — particula valet „während".

Postremo addo unum plusquamperfecti coniunctivi exemplum, in quo coniunctivus item efficitur oratione obliqua: Merc. 78 'se . . . Navem parasse atque ea se mercis vectatum undique . . . . Adeo dum, quae tum haberet, peperisset bona.'

Subest significatio „bis".

1) vid. Kühner II p. 794. Draeger I p. 294.

C.

De 'dum' particula notione „wenn nur." [1])

Ad extremum pauca addam de eo coniunctionis 'dum' usu, quo condicionalem prae se ferens vim vertitur „wenn nur."

Non consentio cum Kühnero, qui docet (l. in adnot. all.) hanc vim artissime cohaerere cum ea notione temporali, qua particula significet terminum quendam propositum. Immo eam derivare malim ex significatione ea, qua quid tamdiu, quamdiu aliud quiddam fiat, esse indicat. Nam si quandam rem, quod ad temporis spatium attinet, alius rei fines egredi non posse, sed intra eos contineri statuitur, facile intelligitur, illam omnino non posse fieri, si altera omnino non fit.

Ex Plauti fabulis luculentissima exempla sunt haec: Asin. 166 'Semper tibi promissum habeto hac lege, dum superes datis'; Men. 90 'Dum tu illi, quod edit et quod potet, praebeas Suo arbitratu . . ., Nunquam hercle effugiet' —

Hic particulam haud inepte vertere possis „so lange als." [2])

Quare coniunctivus his locis per se minime flagitatur, cuius rei testis est locus Pers. 387 'Dum dos est, nullum vitium vitio vortitur', ubi 'est' exstat in A, cum reliqui 'sit' exhibeant. Ritschelium secutus 'est' probandum putavi, quod, ut facillime intelligi potest, quomodo 'est' in 'sit' corruptum sit, ita non apparet, qui 'sit' forma coniunctivi, qui solitus et longe usitatissimus est modus post 'dum' hac significatione, in indicativi formam 'est' mutata sit. —

Atque huiusmodi exempla praeter illud ex Persa petitum inveni omnino quattuor et quadraginta.

Quorum affirmativam formam praebent quattuor et triginta, decem negativam. Illa exstant: Trin. 58; 211 Mil. 253; 784 Capt. 608 Men. 90 Epid. 270; 348'; 679 Curc. 37; 180; 428; 460; 704 Truc. IV, 2, 23 Most. 71 Stich. 426; 554; 687 Bacch. 418; 1048 Capt. prol. 32; 694 Rud. 747, 1100 Pers. 146 Merc. 84; 904 Asin. 166 Cas. prol. 76; II, 5, 23 Amph. 644; 996 Aul. II, 2, 62.

Alterius generis, h. e. negativae formae, sunt haec exempla:

---

1) vid. Kühner II p. 961 sq. Draeger II p. 761 sq.
2) cf. Mil. 50 Men. 93.

Trin. 979 Mil. 893 Curc. 36 Bacch. 867 — ubi alterum verbum particula 'neve' adiungitur —; Capt. 338; 682 Aul. II, 2, 34; III, 5, 17 Pers. 657 Merc. 425 — Curc. 36 sq. primum 'dum ne', deinde 'dum' legitur.

Ad totum enuntiatum pertinet negatio: Bacch. 867 'pacisce . . ., Dum ne manufesto hominem opprimat'; Aul. III, 5, 17 'Quo lubeat nubant, dum dos ne fiat comes'; Curc. 36 sq. — Codd. praebent: 'Nemo ire quemquam publica prohibet via. Dum ne per fundum saeptum facias semitam, Dum ted apstineas nupta vidua virgine . . . ., ama quod lubet.' Fleckeisenus eumque secutus Ussingius 'facias' mutaverunt in 'faciat' et hunc versum (36) coniunxerunt cum v. 35 — 'Nemo ire e. qu. s.', ut 'quisquam' subiecti loco ad 'faciat' intelligatur. Sed recte Goetzius codicum scripturam retinuit, quam aptissimam esse contendo. V. 35 enim continet sententiam quandam generalem, quae sequentibus versibus refertur ad eum, quocum Palinurus loquitur, et ita quidem, ut v. 36 etiam in translatione, qua usus est proximo versu, perseveret et v. 37 quid hoc sibi velit, accuratius definiat:

35. 'Nemo ire quemquam publica prohibet via:
36. Dum ne per fundum saept. facias semitam,
37. Dum ted abstineas . . . .,
38. . . . . . . ama quod lubet.' —

Ad unam quandam notionem spectat negatio; Trin. 979 'Dum ille ne sis, quem ego esse nolo, sis mea causa, qui lubet'; Mil. 893 'Dum ne scientes quid bonum faciamus, ne formida'; Capt. 338 'dum ab re ne quid ores, faciam'; Pers 657 'dum quidem ne nimis diu tua sim, volo'; Merc. 425 'Dum quidem hercle ne minoris vendas, quam ego emi'; Capt. 682 'Dum ne ob malefacta peream, parvi existumo' — Codd. habent 'parvi aestumo', quo hiatus efficitur. Quem ferunt Sonnenscheinius et Ussingius. Ad eum tollendum Fleckeisenus ante 'aestumo' inseruit 'id.' Ego cum Brixio 'parvi existumo' scripsi. Conferendus est locus Most. 76, ubi libri praebent 'flocci existumat'. Vid. Ritschel. ad h. l. — Aul. II, 2, 34 — Codd. habent: 'Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat proloqui.' Quae cum propter metri vitium ferri ne-

queant, plurimi editores recte, ut videtur, 'mihi' deleverunt, quae vocula facile ante 'lubet' irrepere potuit: 'Dúm quidem ne quid pérconteris, quód non lubeat proloqui'. Minus mihi probatur Seyfferti — Stud. Plaut. p. 4 — coniectura: 'quod mihi haud lubeat', et quod Wagnerus in adnot. ad. h. l. proponit: 'dúm quidem ne, quod pérconteris, míhi non lubeat próloqui': nam in hac mutatione de 'dum ne — non' maxime dubitandum videtur. —

Plerisque locis solum 'dum' (vel 'dum ne') invenitur. Nonnunquam additum est 'modo':[1]) Mil. 253; 784 Epid. 270 Amph. 644 Aul. II, 2, 62. Uno loco 'modo' a 'dum' aliis verbis interpositis seiunctum est: Epid. 270 'dum id fiat modo'. His omnibus locis enuntiatum affirmativum est. —

Saepius ad vim augendam additum est 'quidem', idque quater, ubi enuntiatum affirmativam formam praebet: Trin. 58 Curc. 704 Stich. 554; 687 — ter in negativo enuntiato: Aul. II, 2, 34 Pers. 657 Merc. 425 — Haec vocula semper statim post 'dum' posita est.

Trin. 58 Curc. 704 Stich. 554; 687 Merc. 425 ad 'quidem' praeterea 'hercle' additum est, quod in nullo praeterea loco invenitur. Asin. 166 ad condicionem confirmandam 'hac lege' particulam antecedit.

Solum 'modo' vel 'modo ut' aut 'modo ne' nusquam reperi.[2])

In his exemplis omnibus coniunctivus exstat. Curc. 428 — 'maxume tuo arbitratu (inspicias), dum auferam abs te id quod peto' — Goetzius recepit 'aufero': sed B habet 'adferam', E 3 'auferam' ex 'adferam', ut certe 'auferam' multo magis commendari videatur.

Duo sola sunt exempla, in quibus non est coniunctivus praesentis, sed imperfecti: Bacch. 1048 Capt. prol. 32.

---

1) Epid. 679 scribo cum Ussingio: 'Dúm sine me quaerás, quaeras mea caúsa vel medio ín mari'; huc enim ferunt libri — 'dum sine me quaeras' legitur in B J F Z, DU............SQUAERAS in A —, neque est, cur cum Goetzio, 'vel', quod in B invenitur, etiamsi in A deest, neglecto, 'modo' ad 'dum' addamus. —

Amph. 996 'modo' cum 'bono' coniungendum est.

2) cf. contra ap. Ter. Eun. 890 'volet, certo scio, Civis modo haec sit'; — Andr. 409 'modo ut possim'; Phorm. 59 'scies, Modo ut tacere possis'.

Trin. 58 — 'Dum quidem hercle tecum nupta sit, sane velim (eam superstitem esse)', et Men. 90 invenitur coniunctivus potentialis. (cf. Ter. Andr. 313.)

Eandem rationem, quam in enuntiationibus condicionalibus, quas vocant, irrealibus legimus Bacch. 1048 'Ne ille edepol Ephesi multo mavellem foret, Dum salvos esset, quam revenisset domum'.

Consilium quodammodo subauditur: Epid. 270 'facere cupio quidvis, dum id fiat modo'; ib. 348 'Dum tibi ego placeam atque obsequar, meum tergum flocci facio'. Bacch. 867 'pacisce . . obsecro, . . . Dum ne manufesto hominem opprimat neve enicet'; — Merc. 84 — Capt. prol. 32 'Nil pretio parsit, filio dum parceret'.

In principali enuntiato positus est coniuntivus potentialis: Trin. 58 'sane velim (dum tecum nupta sit)'; — imperfecti coniunctivum ut in enuntiato condicionali irreali quod vocatur, Bacch. 1048 'Ephesi mavellem foret, dum salvos esset'.

Imperativus, isque propria vi imperandi, exstat: Mil. 893 'ne formida, dum ne scientes quid bonum faciamus'; Bacch. 867 'pacisce obsecro'. Eadem ratione coniunctivus isque prohibitivus Cas. II, 5, 23 'cave floccifeceris istos, dum tibi propitius sit Juppiter', Et coniunctivus et imperativus invenitur Bacch. 418 'morem geras: Dum caveatur . . . ne quid delinquat, sine'.

Huc etiam referendus est unus locus, ubi 'oportet' cum infinitivo legitur: Amph. 996 'id omnis homines facere oportet, dum modo id fiat bono.

Plurimis vero locis ea ratio subest, ut is qui loquitur haud magni momenti esse rem — quae enuntiationem primariam efficit — neque multum ei tribuendum contendat.

Quare invenimus saepius eum coniunctivum, quo quid ut fiat conceditur: Trin. 979 'Dum ille ne sis, quem ego esse nolo, sis mea causa, qui lubet'; Epid. 679 'Dum sine me quaeras, quaeras mea causa vel medio in mari' — In utroque loco 'mea causa' additum est — Pers. 146 — ubi coniunctivum antecedit

'quaeso', sequitur 'si lubet' — 'Quaeso hercle me quoque vendas, si lubet, Dum saturum vendas'; Curc. 180 'Dum mi abstineant invidere, sibi quisque habeant sqq.; Truc. IV, 2, 23 'discant, dum mihi commentari liceat'; Amph. 644 'absit, dum modo laude parta . . se recipiat'; Aul. III, 5, 17. 'Quo lubeat nubant, dum dos ne fiat comes'.

Praeterea hic coniunctivus nonnunquam supplendus est: Curc. 428 — 'inspiciam quid sid scriptum. — Maxume tuo arbitratu, dum auferam . . .', ubi ex antecedente futuro 'inspiciam' supplendum est 'inspicias'; additum est 'maxume tuo arbitratu'; — item Stich. 426 Aul. II, 2, 34 Merc. 425 hic coniunctivus supplendus est.

Eadem vi imperativus invenitur: Curc. 36 'Dum ne per fundum saeptum facias semitam, . . ., ama quod lubet'; Stich 554 'si vis . . . quattuor sane dato, Dum quidem hercle quod edant addas'; Asin. 166 'promissum habeto, dum superes datis' Cas. prol. 76 'pignus si quis volt dato . . ., Poenus dum iudex; siet'.

'Quid refert' pro 'nihil refert' legitur: Curc. 460 'quid id refert tua, dum argentum accipias?' Merc. 904 'Quid tua r., quicum istic venerit? — dum istic siet'.

Ter exstat floccifacio vel non floccifacio, praeter locum supra allatum, Cas. II, 5, 23 — 'cave floccifeceris' —, Epid. 348 'tergum floccifacio, dum tibi placeam . .;' Trin. 211 'non floccifaciunt, falson' an vero laudent, dum illut quod lubeat sciant' Huc accedunt 'parvi existumo' Capt. 682 'dum ne ob malefacta peream, p. e.'; 'aequi istuc facio' Mil. 784 — Optimi libri habent: 'atque istuc faciom dummodo' C et (nisi quod 'istunc') D, 'atque istuc faciundū modo' B. Ritschelius omnesque recentiores praeter Ribbeckium scripserunt: 'aequi istuc faciam, dummodo . .' Ex 'atque' 'aequi' restituendum esse per se apparet. Sed pro 'faciam' cum Lambino, Camerario, Ribbeckio scribo potius 'facio', quod exstat in F et Z — parvifacio —. Huc accedit, quod alia, quae reperiuntur, huius modi verba, velut 'parvi aestumo', ubi eadem ratione usurpata sunt, praesenti tempore posita sunt: cf. Capt. 682; 694 Rud. 1100 Merc. 84 —.

Imprimis adnotandum videtur Capt. 694, ubi exstat et coniunctivus talis, quales sunt ei, de quibus modo vidimus, et 'nihil interdo' cum coniunctivo eiusdem generis: 'Vel te interisse vel perisse praedicent, Dum pereas, nihil interdo dicant vivere' — 'interdo' scribo cum Ussingio et Sonnenscheinio — libri habent 'interdico' —, nam haec coniectura videtur probalilior esse, quam quod Fleckeisenus et Brixius scripserunt, 'interduo', quapropter sequens 'dicunt' mutaverunt in 'aiant': 'Dum péreas, nihil intérduo aiant vívere'. — Sola coniunctivi huius verbi 'interdare' forma u littera post d addita apud Plautum invenitur (Trin. 994 Rud. 580).

Praeterea legitur convenit: Stich. 687 'convenit, dum quidem hercle quisque veniat suo cum vino'; permittere: Curc. 704 'tibi permittimus — dum quidem hercle ita iudices, ne . . '; futuri forma: Capt. 338 'dum ab re ne quid ores, faciam'; Men. 90, 'Dum tu illi . . . . praebeas . . ., nunquam effugiet'; sino vel patior: Most. 71 'Dum interea sic sit, istuc "actutum" sino'; Rud. 1100 'Omnia . . . . facile patior, dum hic hinc a me sentiat'; volo cum infinitivo supplendo: Pers. 657 'volo scil. tua esse, dum quidem ne nimis diu tua sim'; Capt. 608 'volo scil. vinciri, dum istic itidem vinciatur'; cupio cum infinitivo: Epid. 270 'facere cupio quidvis, dum id fiat modo'; 'dico' cum infinitivo praesentis — loco futuri —: Merc. 84 'dico . . . amorem missum facere me, dum illi obsequar';

Restant tria exempla aliena quodammodo ab illis: Mil. 253 'quantum vis prolationumst, dum modo hunc inducamus ut credat'; Aul. II, 2, 62 'dotatast satis, dum modo morata recte veniat'; Capt. prol. 32 'nil pretio parsit, filio dum parceret'. Sed hinc quoque facile subaudimus rem quandam haud magni esse aestimandam sive aestimatam.

Vita.

Natus sum Hermannus Aemilius Oscar Elste a. d. V. Cal. Febr. a. MDCCCLVIII Merseburgi patre Salomon, matre Henriette e gente Heinrich, quos adhuc vivere valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis imbutus sum in patriae meae schola urbana. Deinde vere a. h. s. LXIX adii eiusdem urbis gymnasium, quod per novem annos frequentavi.

Maturitatis testimonio instructus vere a. h. s. LXXVIII civibus unversitatis Fridericianae Halensis ascriptus sum. Deinde autumno eiusdem anni Berolinum transmigravi, unde post tria semestria vere a h. s. LXXX iterum Halas me contuli. Per haec octo semestria in philologiae et historiae studia incubui et audivi professores illustrissimos Bresslau, Curtius, Dittenberger, Droysen — et patrem et filium —, Dümmler, Haym, Hertzberg, Heydemann, Hiller, Hübner, Keil, Kirchhoff, Kramer, Lepsius, Robert, Thiele, Vahlen, Zacher, Zeller. Per tria semestria proseminarii et seminarii philologici exercitationibus interfui.

Praeterea Droysen, ut exercitationibus historici seminarii, Heydemann, ut archaeologicae, Thiele, ut philosophicae societati interessem, benigne permiserunt.

Quibus omnibus viris clarissimis, qui studiorum meorum fuerunt moderatores et adiutores, gratias ago quam maximas.

Corrigenda.

p. 2 adn. 3	legendum	est	p. 26 adn. 3.
p. 4 pro 'p. 13 sq.	—	—	p. 11 sq.
p. 11 (31) pro 'ille'	—	—	'illa'.
P. 16 (30) pro 'habebet'	—	—	'habebat'.

DRUCK VON HOTTENROTH & SCHNEIDER IN MERSEBURG.